



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

VI. Male eligit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

maria: quia ventum seminabunt, & turbiditatem metent. Reges Juda, delinendo populo, Baalis & aliorum deorum inanum simulacra adorant: ob id consilium, Deus scrutatur Jerusalem in lucernis, & visitat super viros defixos in facibus suis, qui dicunt, non faciet Dominus benè, & non faciet malè. Sophon. cap. i. Laudata Caiphæ prudentia à Judæis, Joannis cap. ii. quando dixit, Expedit unum hominem mori pro populo, ut non tota gens pereat. Mortuus est homo unus: tota nihilominus gens periit, captusque est astutus in astutia sua. Cæsares Romani, cædibus in Ecclesiam nascentem grassati, ipso opprimendi consilio eam multiplicavêre: Dominus dissipavit consilia Principum, & reprobavit cogitationes populorum.

VI. Sæpissimè, cum nobis relinquimur, idem nobis usuvenit, quod

Male eligi. Sigismundi Imperatoris aulico apud Peucerum, & ex illo apud Drexelium in Heliotropio. Res ferè sic habet. Quebatur aulicus obsequiorum mercedem sibi non donari, obscure quidem & subtimidè:

midè: non ita tamen, ut Sigismundus non audierit: longæ enim sunt, & manus, & aures Principum. Itaque ut amoeni erat ingenii, aulæ suæ risum daturus, pyxides duas formæ, materiæ, magnitudinis ejusdem, gemellas planè, jubet impleri, plumbo unam, auro alteram: sic tamen ut neutra præponderaret, indicioque nullo deprehendi posset, in utra lateret paupertas benè vestita. Vocatur querulus aulicus, & ne ampliùs de Cæsaris benevolentia exoptulet, jubetur ipse sibi mercedem optare, e pyxidibus istis alteram: plumbum uni inesse, aurum alteri. Ter-giverfanti, excusantiq̄ue, & mercedis suæ tempus atque electionem permittenti tandem, quod antè oportuerat, arbitrio Cæsaris, pyxides dantur in manus. Incipit invitus agere libripendem: versat identidem & reversat utramque, nunc dextrâ, nunc sinistrâ: circumspicit, explorat, pertentat, quacumque potest, & cùm indicii nihil deprehenderet per se, ex vultu Cæsaris & spectatorum quærere conatur. Anxius aliquamdiu sortes miscue-

miscuerat, cū tandem, seu ne longiore mora tædium crearet, seu quia aliqua rectè eligendi conjectura videbatur: hanc, inquit, mihi pyxidem opto, & simul eam ambabus manibus comprehendit, velut possessionem capturus. Aperitur: & ecce tibi plumbea gaza apparuit, querulòque optatori verecundiam incussit, aulæ universæ risum excussit. Postquam desiti chinni, Sigisfundus ad eum conversus: tu ergo, inquit, deinceps imputa tibi fortunam tuam, non mihi: quippe sic ipsemet elegisti.

VII. *Non fi-
dendum
ingenio.* O quoties similia nobis contingunt! Fortunæ dicam inpingimus & litem facimus, nova desideramus, ignota petimus, eligimus pejora, amittimus meliora, affectibus cœci, & à Deo nobis relictī, quia eo duce & electore contenti non sumus. Auctor Soliloquiorum cap. 16. sic inducit loquentem Augustinum: *Credebam me sufficere per me, nec perspiciebam quoniam tu regebas me, donec aliquantulum elongasti à me, & cecidi statim in me, & vidi, & cognovi.*

Verè